



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De triplici gradu sobrietatis. Cap. XLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

De triplici gradu sobrietatis.

CAP. XLVIII.

P R I M U S gradus sobrietatis esse potest, à ^{Gradus} ^{primus} ~~crapula~~ & ebrietate cauere, & debita tempora & horas in comedendo seruare: ne ieiunia statuta leuiter frangantur, vel tempore incongruo epulis & potibus temerè inferuiatur: & ne magis ad luxuriam quàm ad naturæ refectionem edendo vel bibendo studeatur. ^{Eccle. 10.} ^{16.} Eccles. Væ terræ cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt. Pecus quod solùm ventri seruire nouit, seruat in edendo vel bibendo modum naturæ conuenientem: sic & homo debet qui regitur ratione: alioquin melius esset ei carere ratione, quàm non regi ab ea, quia non peccaret carens ratione. ^{Secundus} ^{Secundus} gradus esse potest, etiam à quibusdam licitis abstinere: vt à carne, vino, lacte, piscibus vel pulmentis, sed asperiori victu contentum esse, scilicet pane rudi & pulmento non condito: vel sæpe ieiunare, & à delectabilibus abstinere, & quæ magis appetuntur, vt religiosi & deuoti solent & pœnitentes. ^{Ad Rom. 14, 21} Ad Rom. Bonum est non comedere carnem, & nō bibere vinū, &c. ^{Nu. 6, 20} sicut Nazaræi, & filij Rechab. ^{Ier. 35, 6} Dan. Caro & vinum non introierunt in os meum. ^{Dan. 10, 3} Tertius ^{Tertius} gradus est, sic domuisse gulam, & sic docuisse palatum, vt homo solis sit contentus illis, quæ extremæ sufficiant necessitati, in qualitate & quantitate cibi & potus: vt quo simplicior est victus, eo magis diligit. & si delicata aliquando sumere oporteat, non delectationē in eis, sed solam necessariam refectionem requirat. ^{Rom. 13, 14} Ad Romanos: Carnis curam ne feceritis in desideriis.

V. s. Alia